

## AD LAUDATIONEM FUNEBREM IN PANTICAPAEO REPERTAM OBSERVATIONES QUaedam

In fasciculo secundo “Commentariorum Historiae Antiquae”,<sup>1</sup> qui nuperrime in lucem prodiit, titulus Graecus in Panticapaeo repertus non tam profundae antiquitatis typis exaratus est,<sup>2</sup> qui laudationem viri cuiusdam continet olim a Yu. G. Vinogradov viro doctissimo ac rei epigraphicae peritissimo ante aliquot annos acerbissime morte abrepto promulgatam,<sup>3</sup> nunc a S. A. Shestakov, qui eius spiritus rectoris officio fungitur, denuo exhibitam.<sup>4</sup> Quem titulum rossice vertit ac commentario historico locupletissimo instruxit S. Yu. Saprykin, locis nonnullis ex coniectura restituitis.<sup>5</sup> Nam hunc lapidem se diu pertractavisse primum ineditum phototypice expressum a Yu. G. Vinogradov sibi monstratum, deinde ob oculos habitum ex verbis ipsius patet.<sup>6</sup>

Lapis temporis inclementia vel hominum incuria mutilatus utpote dextra in parte inde a summo vertice usque ad imum fractus 47 versus continet ita tamen, ut inferiores partes integriores remanserint. Dubium non est, quin viri nomen in superiore lapidis parte perierit.

Ad textum restituendum primas curas easque maximas Yu. G. Vinogradov posuisse ex duabus commentationibus in fasciculo eodem datis plane patet, quarum una a S. A. Shestakov, altera a S. Yu. Saprykin conscripta est. Quae is ad priores curas propria manu addiderit, ex opusculo eius colligi potest.

---

<sup>1</sup> Ю. Г. Виноградов, С. А. Шестаков, “Laudatio funebris из Пантикапея” (Yu. G. Vinogradov, S. A. Shestakov, “Laudatio funebris in Panticapaeo reperta”), *ВДИ* 2005: 2, 42–44.

<sup>2</sup> Quantum ad aetatem inscriptionis pertinet, Sauromatae I Bosporani temporibus, qui per annos 93–123 post Ch. n. regnavit, incisam esse ex editorum verbis patet (p. 42).

<sup>3</sup> Yu. G. Vinogradov, “Greek Epigraphy of the North Black Sea Coast, the Caucasus and Central Asia”, *ACSS* I (1994): 1, 73–74.

<sup>4</sup> Vide adnotationem primam.

<sup>5</sup> С. Ю. Сапрыкин, “Энкомий из Пантикапея и положение Боспорского царства в конце I – начале II в. н. э.” (S. Yu. Saprykin, “Laudatio funebris in Panticapaeo reperta atque status ac condicionum regni Bosporani quales saeculo primo post Christum natum deficiente ac secundo saeculo ineunte fuerint disquisitio”), *ВДИ* 2005: 2, 45–81.

<sup>6</sup> *Ibid.*, 45.

Titulus a triumviris doctis sanatus ac explicatus vix quidem propter vastam deformationem in integrum restitui, nonnullis autem in locis plenior reddi posse videtur. Quam ob rem retineri non potui, quin manum ad rem communem applicarem ac stipem permodestam in medium conferrem, quamvis abiecta omni spe, fore unquam, ut tituli, quae primitus fuerit, forma refingi queat. Restat, ut de textus forma ac scriptoris genere dicendi dicamus. Nam inscriptio narrationem rerum gestarum satis argute expositam, artis rhetoricae instrumentis expolitam atque limatam exhibet et eiusmodi ornamentis, qui vulgo loci communes nuncupantur, redundat, sermonis tamen vitiiis minime caret, quippe auctor, dum aevi melioris rerum scriptores magnopere imitari gestit, nimis audacter vela dat non satis vento secundo nedum adverso uti sciens; ex quo fit, ut turgidus ac lutulentus nonnunquam fluat. Nam dum genus dicendi sublime ac magnificum reddere vult, quod saepius in eiusmodi rebus usu venire solet, subobscurus fit. Quae cum ita sint, ad titulum veniamus ac versusum ordine asservato singula perstringamus.

In versu secundo, ubi vocula una altera eaque mutila legitur, editores [ἀπὸ τῶν ἰ]ππέων ἐλείφ[θη] restituunt. At in loco ἀπό praepositionis ὑπό multo usitator potius quadrat, nisi quod sunt, qui voculam exquisitiorem πρὸς, quae sane sermonis poetici est requirant. Qua exempli gratia Aeschylus in Eumenidibus v. 279 et alibi elegantissime utitur. Sed hoc minimi momenti esse nec loci sensum mutare posse confitendum est.

Versus secundus in calce ac versus tertius sic ab editoribus legitur: κα-  
τακόπτ]ων τὴν παρά[τ]αξιν κτλ. quod Sergio Saprykin (cuius opusculi paginam 49 fac videas) minime placet, qui Isocratis praecipue loco fretus, qui locus, cuique *LSJ* s. v. παράταξις inspicenti obvius statim occurrit, verbi ποιεῖν part. praes. in nominativo positum substituendum putat. Isocratis autem verba haec sunt: αὐτοὶ γὰρ πολὺ μείζω καὶ δεινότεραν ἐποίησαντο παράταξιν τῆς πρὸς Γίγαντας αὐτοῖς γενομένης κτλ. (X, 53) i. e. “nam ipsi (dei) pugnam (apud Ilionem) multo acriorem ac maiorem commiserunt ea, quae iis cum Gigantibus pugnata erat”, unde luce clarius patet non de acie extruenda, sed de proelio commitendo hoc loco agi. Nam παράταξις vocula de utraque re poni posse quis est, qui nesciat. Itaque hic Isocratis locus ad interpretationem Saprykianam minime facit. Qua de re ad priorem lectionem, quae mihi quidem verisimilior videtur, revertendum esse puto, nisi quod sunt, qui [διακόπτ]ων fortasse malint.

In versibus 11–13 legimus:

11 τὰ γὰρ μεγάλα τῶν ἔργω[ν ἐμφανιζόμενα μὲν δημαγω-]

12 γεῖ τοὺς πλησίον, οὐχ ὁρώμενα δὲ βασαν[ίζε]ι ...]

13 ὀφθῆναι Καίσαρι τηλικούτος, ἡλίκος ἦκο[υσ]μένους ἦν κτλ.]

Quod ad δημαγωγ]γεῑ τοὺς πλησίον circumscriptionem attinet, nihil habeo, cur detrectem. Attamen ψυχ]αγωγ]γεῑ, quod verbum item cum accusativo iungitur, non minus ad hunc locum quadrare mihi videtur, cum vim ac sensum ad se alliciendi non minorem habeat satisque frequentetur. Ad hoc δημαγωγ]γεῑν verbum ibi plerumque poni solet, ubi de plebe vel populo agitando agitur, ψυχ]αγωγ]γεῑν autem non tam stricte usurpatur. Quo verbo rerum scriptores, qui post Alexandri Magni mortem floruerunt, in quibus praecipue Polybius putandus est, non invito animo utuntur. Nam historicus Megalopolitanus, nisi me operis eius amor fallit, in hoc genere dicendi satis frequens invenitur.<sup>7</sup>

Infinitivus ὀφθ]η̄ναι, qui in initio versus 13 nobis occurrit, ὡς vel ὥστε prae se fortasse requirit. Ex quo fit: οὐχ ὀρώμενα δὲ βασαν]ίζει τὸν ἄνθρωπον (crassa Minerva conicimus) ὥστε οὗτος] 13 ὀφθ]η̄ναι Καίσαρι τηλικούτος, ἡλικός ἤκο]υσμένος ἦν]: id est “Ea autem, quae visa non sunt, ita tamen virtutes viri probant, ut is a Caesare talis cognitus sit, qualis fando auditus erat”. Nam si vir ille victoriam reportatam ipse, praesente Caesare, ostendisset atque declaravisset, adeo minore merito ac studio minoribusque periculis laboribusque exhaustis animum principis allidere benevolentiamque sibi conciliare potuisset seque virum gloria dignum maximisque laudibus ornandum facilius Caesari persuasisset. Is autem etiam e longinquo talis et visus est et creditus. Nam testes oculatos ad credendum saepe proniores ac propensiores esse, non ita vero, qui absunt, inter omnes constat. Quo maiore virtute praeditus esse debet, cuius res gestae rumoribus famaue solum, quae ad Caesaris aures pervenit, allatae pro veris accipiantur! Ita fortasse et rei grammaticae satisfacere et sententiam planiorem efficere possimus.

In versibus 16–18 sic verba nectuntur:

- 16 τυχ]άνονται δ' αὐτῶ κατὰ τὴν Χερρόνησο]ν συνήνησαν? βασιλεῖς οἱ]  
 17 ἐπὶ τὴν Ἀλανῶν συναχ]ίαν ἤκοντες ο[ὗς αὐτὸς ἀπὸ τοιούτων ἐλπ]ί-]  
 18 δων ὑπέστρεψεν κτλ.

Praemonendus sit lector indicia interrogatoria et hic et aliubi ab editoribus posita esse.

Ita enim locus ab editoribus restitutus est, ubi circumscriptio ο[ὗς αὐτὸς ἀπὸ τοιούτων ἐλπ]ί]δων ὑπέστρεψεν nonnihil suspicionis movet. Nam constructio ὑποστρέφειν τινὰ ἀπὸ τινος, quae sensum spe aliquem deiciendi hic habere vult, lexicis potissimis non probatur, in quibus loci laudati vim ac

<sup>7</sup> Quod verbum ψυχ]αγωγ]γεῑν apud Polybium legentibus occurrere sexies decies ex *TLG* patet.

sensum aliquem vel aliquid vertendi, ubi verbum activum transitive ponitur, vel revertendi, ubi intransitive. Itaque si hoc loco verbum transitive usurpatur, ii, qui ad societatem cum Alanis pangendam venerunt, putandi sunt, sin vero intransitive positum mavis, de eo ipso domum regresso cogitare licet. Syllaba vocis ultima -δων, quae verbum praecedat, nihil obstat, quin participii aoristi activi in nominativo positi exitum facere possit, ἰδὼν vel προιδὼν exempli gratia, veluti si auctor dixisset: τὰ μέλλοντα προιδὼν ὑπέστρεψε i. e. eis, quae de huius rei eventu expectari potuerant, provisus domum revertit. Quid autem *omikron* littera hic sibi velit, dixerit quispiam. Numquid ad hoc solum idoneum est, ut ex se οὖς producat? Si nobis ex coniectura agere licet pro οὖς αὐτός, οὗτος in unum vocabulum colligatis crassa Minerva scribere malimus ita, ut fiat: ο[ὗτος δὲ τὰ μέλλοντα προιδ-] δὼν ὑπέστρεψεν –“is autem, cum futura prospexisset, domum revertit” ad exercitum scilicet conscribendum ac ad bellum comparandum. Quae sententia ex sequentibus bene comprobatur, ubi in versu 18 legitur: ἔτι δ' αὐτῷ συνάγον[τι δύναμιν κτλ.] –“cum etiam in exercitu conscribendo occupatus esset etc.” Itaque auctor in hanc sententiam locutus est: “Itaque is (cui titulus dedicatus est), cum, qui ad Alanos missi erant, legati se ei obvios dedissent, omnibus, quae futura essent, provisus, ne tempus frustra in colloquio tereret, domum ad exercitum conscribendum properavit”. Si litterarum numerus considerandus est, vix duarum et viginti litterarum spatium egressi sumus, qui numerus in ceteris versibus huius tabulae partis ab editoribus restitutis regnat.

Porro nobis progredientibus versus 18–20 occurrunt, in quibus sic legimus:

18 δων ὑπέστρεψεν ἔτι δ' αὐτῷ συνάγον[τι δύναμιν καὶ ἐπὶ Σκύθας στρα-]  
 19 τευομένῳ τὰς παρὰ τῶν βασιλέων πίστ[εις θεῶν καὶ τὰ ὄρκια? λαβεῖν]  
 20 συνήνητησεν. ὁ μὲν γὰρ μέγας ἦρως ἐσπ[οῦδασεν .....]

Animadvertenda est copulatio verbi συναντῶν cum infinitivo, quippe quae iunctio nusquam reperiatur, si lexicis fides habenda est, neque ipso graecitatis usu comprobetur. Revera enim haec circumscriptio immane quantum cum re grammatica discreparet. Nam infinitivus non de συναντῶν verbo, sed de συμβαίνειν pendere et potest et solet. Causam vero, propter quam editores errore ducti sunt, ab eo potissimum repetendam puto, quod verbum utrumque eundi et conveniendi vim habet, sed eorum συμβαίνειν solum infinitivum vel acc. c. inf. poscit. Itaque συναντῶν hoc loco haud impersonaliter positum putandum est, sed subiectum quoddam cum hoc verbo artissime coniunctum subauditur. Itaque huius rei ratio hoc modo explicari potest: ei Scythis bellum inferenti nuntium quemdam obvium se dedisse, qui fides ac iusiuranda secum ferret. Ne levissima quidem dubitatio

relinquitur quin assentiare infinitivum λαβεῖν hunc locum sine controversia recipere non posse.

Inter verba πίστεις et θεῶν particulam τε inserendam esse puto, ut copulatio πίστεις τε θεῶν καὶ τὰ ὄρκια artius procedat.

Si porro progrediamur, verbum ἐσπ[οῦδασεν] in versu vicessimo nos in deliberationes coniciat. Nam verba sic posita sunt:

20 ὁ μὲν γὰρ μέγας ἥρωσ ἐσπ[οῦδασεν .....]

21 δ' αὐτὸν λαμπρὰ τύχη βασιλέως τῶ[ν? .....]

Apud verbum σπουδάζειν accusativus rei vel circumscriptio περί τι aut ἐπί τι requiritur. Quanto facilius ratio explicari potest, si pro σπουδάζειν verbo σπεύδειν proponamus ita tamen, ut infinitivus verbi nuntiandi vel gratulandi de eo pendeat, cui λαμπρὰ τύχη βασιλέως satis respondere videtur.

Quid vocula ἤ[συσμα] sibi velit, quae sub fine versus 42 invenitur, prorsus nescio ac de eo a viris doctis velim edoceri. Nam lexica omnia, quae mihi praesto sunt, hoc vocabulum ignorant. Hoc errore mero accedissee puto, quippe persuadere mihi non possum, quin editores nescio quid vocabulum commentaticium excogitare voluerint; quae res prorsus fidem excedit.

Hariolor utrum ἥδυσμα, ἥδος, ἥδονήν an ἡγητήρα vel ἡγητήν scribendum sit, quod sequentibus <...> καὶ πᾶσι περισπούδαστον η[...]  
43 τῆς βασιλείας quodammodo respondeat.<sup>8</sup>

Ceterum haud infitior totius loci sententiam vocem quamdam requirere, quae suffulcendi vel defendendi notionem reddat.

Itaque si quid utilitatis ad rem communem adferre potui, officio proprio satisfecisse mihi videor.

Andreas Tischow

*Universitas Petropolitana*

В статье предлагается ряд поправок к публикации надгробной надписи из Пан-тикапея, осуществленной Ю. Г. Виноградовым и С. А. Шестаковым (см. выше прим. 1) и дополненной С. Ю. Сапрыкиным (см. выше прим. 5).

---

<sup>8</sup> Quod editores τῆς βασιλείας (sic!) scripserunt, non ipsorum, sed officinae typographicae erroribus adscribo, quos aliquot a me cognitos silentio praeterii.